

S 67/68

1289 Sept. 14 Metelen.

Abtissin und Konvent von Metelen für Langenhorst.

Nos Gertrudis miseracione divina abbatissa et conventus in Metelen universis presentem paginam visuris notum facimus, quod in nostra con-

[47 67]

stitutus presencia Hadewereus miles dictus Blome, ministerialis ecclesie nostre, cum uxore sua Regelande ac filiis suis Godeschalco et Johanne et filia sua Jutta neonon cum fratribus suis Johanne sacerdote et Heinrico dicto Blome recognovit publice coram nobis, quod ipse de bona voluntate Regelandis uxoris sue ac dictorum heredum suorum duos agros, qui a vicinis nuncupantur nominibus usitatis Brede uppen Belo atque ses Gerden uppen ezsche, pertinentes ad domum, que dicitur Grotehus in Boklo, sitam in parochia Welleberge, pure vendidit . . . priorisse et conventui in Langenhorst pro octo marcis Monasteriensis monete sibi numeratis integraliter et solutis; et quia idem Hadewereus miles dictos agros cum prefata domo et omnibus suis attinenciis de manu nostra in feodo tenuit, ipsos agros in manus nostras una cum uxore sua ac heredibus suis predictis libere et voluntarie resignavit. Nosque recognitione tali et eciam resignacione coram nobis publice factis proprietatem dictorum agrorum . . . priorisse et conventui in Langenhorst supradictis ad petitionem dicti Hadewerci militis ac heredum suorum libere porreximus et sine condicione qualibet perpetuo possidendos, recepta tamen pro eisdem agris in concambio a dicto Hadewerco milite ac suis heredibus iam dictis proprietate terre, que dicitur Molenwisch, in recompensacionem dictorum agrorum memorate domui, videlicet Grotenhus, attinenda quolibet tempore in futurum. Promisit eciam iam dictus Hadewereus miles cum suis heredibus coram nobis, quod, si quis, quod absit, super iam dictis agris . . . priorissam et conventum in Langenhorst sepedictos impetere forte voluerit, quod ipse cum suis heredibus plenam prestabit eis super hiis omnibus warandiam. In cuius rei testimonium sigillis nostris presens pagina communitur. Acta sunt hec in die exaltacionis sancte Crucis apud Metelen anno Domini M^oCC^oLXXX^o nono, presentibus hiis: Rutgero sacerdote ordinis Crucesignatorum hospitalensium, Lamberto plebano in Metelen, Berterammo canonico ibidem, Johanne canonico Widenburgensis ecclesie, Johanne sacerdote, Hermanno decano in Langenhorst; item Henrico de Stokhem, Johanne de Velthus, Arnolde Magno, fratre Theoderico, Lamberto clavigero et aliis quam pluribus.

Orig. 2 Siegelreste (das 2.: 2 Bischofsköpfe); T. III S. 20 F. 5 Nr. 14. — Kopie im Kopiar I S. 45; Auszug im Kopiar II fol. 17: Littera, in qua Hadewereus Blome miles et Regelandis uxor sua vendiderunt priorisse et conventui in Langenhorst duos agros u. f. w.

68